



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De his, qui postulari possunt, & non possunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

De his, qui postulari possunt, & non possunt.

Resp. i. Illos tantum postulari posse in genere, qui impedimento aliquo canonico impediuntur, quo minus eligi possint (cum enim in subsidium electionis sit postulatio propriè dicta, consequenter tantum illi propriè postulari possunt, qui non possunt eligi) non quidem omnes, sed qui inhabiles sunt, ut eligantur, propter defectum aliquem, in quo superior potest, ac solet dispensare, uti colligitur ex c. 1. §. nos igitur. junctâ Glos. V. Personam. h. t. ne frustranea scilicet sit postulatio. Et hinc postulari non possunt ad Prælaturam, qui laborant publicâ moram infamiâ, aut in crimine aliquo, quo notati sunt, perseverant, vel qui omnino sunt illitterati, bigami, sputij ex damnato coitu nati, uti colligitur ex c. nisi cum pridem 10. §. Persona verò. de renunt. qui interdictum loci scienter, ac temerè violavit c. 1. h. t. qui 27. ætatis annum non attigerunt &c. nec postulari possunt Religiosi professei ordinum mendicantium ad inferiores cathedralibus Ecclesiis, aut ad monasteria extra suos ordines, ut patet ex extravagante uni. h. t. inter comm.: qui tamen vinculo alterius Episcopatus tenetur, etiamsi tantum confirmatus sit, quamvis eligi non possit in Episcopum, aut Archiepiscopum alterius Ecclesiæ, cum sit spirituali matrimonio primæ suæ Ecclesiæ junctus, & sic incapax alterius matrimonij spiritualis contrahendi prius, quam à priore vinculo solvatur, postulari tamen potest à Pontifice, qui po-

test, & solet in casu necessitatis, aut magnæ utilitatis, dispensare, ut cum priore Episcopatu retento alium etiam Episcopatum recipiat postulatus, vel saltem priore dimisso, ad alium transeat, prout constat ex c. ult. h. t. & ex c. ult. de translat. Episc. Et quamvis Cardinalis S. R. E. non Episcopus, in Episcopum alicujus Ecclesiæ postulari debeat à summo Pontifice, postulatio tamen hujus, non est postulatio solemnis, cum nullo canonico impedimento prohibeatur, quò minus eligi possit, sed postulatio simplex, sive non solemnis, ne scilicet Ecclesiæ universali, cujus administrationem Pontifex habet, per talis Cardinalis absentiam, in suâ Ecclesiâ particulari residere obligati, sua subtrahatur utilitas, quam ex hujus Cardinalis in Romana curiâ præsentia sperare potest: quo modo etiam Prælati Episcopo inferiores, quamvis simplici tæpe postulatione à suis Capitulis v. g. postulandi sint, rectissime tamen dicuntur eligi, & non postulari, cum nullo canonico impedimento impediuntur, quo minus eligi possint.

§. III.

De Superiore, à quo fieri debeat Postulatio.

Fieri debet ab eo superiore postulatio, cujus est Prælati, si electus esset, confirmatio, si tamen super impedimento canonico ratione cujus sit postulatio, dispensandi licentiam habet (habet enim admissio postulationis, vim confirmationis, ergo ab eo fieri debet postulatio, à quo petenda foret Electi confirmatio) neque tamen ex obligatione justitiæ admittere postulationem